

No. 1268. 1489. 26. März.

B. Johann VI. bestätigt die durch letztwillige Verfügung des Kurfürsten Ernst gegründete neue Vicarie in der Domkirche. Vgl. No. 1264.

Johannes dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis etc. Fidelium defunctorum animas tunc habere solatia, tunc quoque refici et in aeternam ex iusti iudicis tortura levare credimus requiem, cum vel precibus sanctorum, cognatorum ieiuniis, elemosynis charorum aut sacerdotum orationibus succurratur et subveniatur eisdem; hinc et pro nostra qui vallem usque modo habitamus lacrimarum salute congruum valde et meritorium arbitramur, si subsidiis huiusmodi iuxta nostram facultatem a nobis prosecutae fuerint atque relectae, quin perpetuae lucis claritate ex hoc adepta sine intermissione, ut minime diffidimus, apud altissimum omnium conditorem reciprocis suis orationibus pro nobis intendunt et intercedunt, quodque revera ille Christicolarum princeps illustrissimus dominus Ernestus, s. imperii Rom. magnificus elector, dux Saxoniae, lantgravius Thuringiae et marchio Misnae, zelator pacis cleri amator totius quoque religiositatis diligens conservator dum adhuc valle in hac lacrimarum ageret vitam, pie ac devotissime animadvertens, attendens insuper nihil morte certius — de mera sua liberalitate sponte et in parata pecunia in capella vulgari nuncupata vocabulo capella ducum ecclesiae Misnensi contigua, ubi vel monumentum suum situm corpusque in pace sepultum est et requiescit, novae pro erectione vicariae vel altaris mille Renenses aureos et quotquot legali reemptionis aut perpetuo titulo census pro his emi poterint, contribuit ac donavit, unde eo equidem humanis functo illustrissimus et illustris domini, dominus Fridericus pariter s. Rom. imperii dignissimus elector dominusque Johannes fratres, Saxoniae duces etc. eorum genitoris ultimam sicuti decet officiosissime cupientes explere voluntatem, cum his mille aureis Renensibus in praetorio atque super omnibus obventionibus Misnensis civitatis consensu et scientia illustris domini Alberti ducis Saxoniae etc. patrui eorum ex tunc praedictam civitatem haereditario iure obtinentis et possidentis legali ac iusto reemptionis titulo quinquaginta Renenses aureos in festis Walpurgis et Martini per rectores praedictae civitatis iuxta litterarum desuper confectarum tenorem vicario illius vicariae exsolvendos emerunt atque comparabant, quos supplici precatu nobis offerri curavere, cum quatenus censum et annuos redditus acceptare suscipere vicariae quoque antedictae unire — dignaremur. Nos igitur Johannes episcopus defunctorum animarum salutem quia studiosissime amplectimur earumque refrigerium atque redemptionem pro viribus per orationes fidelium procurando census praedictos — acceptantes, memoratae vicariae unimus, appropriamus, vicario quoque illius canonice intranti pro dote consignamus, decernentes auctoritate nostra ordinaria eos in antea ecclesiasticos esse ecclesiasticisque iuribus privilegiis et libertatibus instar aliorum deo dicatorum censuum gaudere debere —. Et cum in saepe dicta capella ad novi altaris constructionem locus pateat minime, idcirco auctoritate nostra decretum est, huius ut foundationis vicarius in altari trium regum inibi sito praeterquam in